Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-571837-p0001-3

Tomus XIII
Miscellaneorum Philologicorum.

36

D. F. B.

Exercitationum

Ad

NOVUM TESTAMENTUM SYRIACUM,

Disputatio Quinta,

Quam

In inclutâ LEUCOREA

Publicæ συνφιλολογόντων κρίσει διαλέξει submittunt

M. JOHANNES ERNESTUS GERHARDUS Jenensis,

&

JOHANNES GABRIEL Lyßman/ ULTZENSIS.

ad d. 24. Julij

in Auditorio Philosophorum

horis antemerid.

WITTEBERGÆ,

Excudebat JOHANNES RÖHNERUS, Acad. Typogr.

clo Ioc XLVII.

D. F. B.

Excudebat

NOVUM TESTA-

MENTUM SYRIACUM.

in Auditorio Typographorum

Lipsiæ

M. IOHANNES ERNESTUS

CHRISTOPHORUS LEUSCHNERUS

et

IOHANNES GABRIEL SEPTIMUS

TAUCHNITII.

SOLI DEO GLORIA.

POSITIO I.

Suffixum primæ personæ in quâ Linguæ Syriacæ Dialecto quiescens sit, in quâ mobile? Discessus sit à Dieu.

DIximus circa superioris Exercitationis IV. finem, & Cl. Mayeri testimonio comprobavimus, aliam fuisse Linguæ Syræ Dialectum, qua Christus & Apostoli usi fuere, aliam, quâ N. T. paraphrasis Syra adornata conspicitur. Ex hoc quoq; fundamento solvi etiam fortè poterit quæstio, cur Marcus c. V, 41. Syrum ܛܠܝܬܐ reddat per κοῦμι, exprimens scil. terminationem 2. pers. Fœm. S. Imp. *Judh*, quod hodierni tamen Syri in dicto casu penitùs quiescere h. e. neq; *Judh*, neque vocalem aliquam, per quam adhæreat, pronunciari statuunt. Distinguendum nimirum inter dialectum Hierosolymitanam & Antiochenam. Frustra igitur est magnus omninò in his litteris Vir, maximorumq; in eaſd. meritorum *Lud. de Dieu*, quando exemplum hoc sub verbis quiescentibus excipit, cùm tamen in Syriacâ Paraphrasi (& de hujus idiomate ei sermo est, non de Hierosolymitano,) Mim ṗ Judh præcedens, chevozo careat, ut suo ostendetur loco. Pari quoq; modo, ex eodēq; principio ratio reddi potest, quare Matt. 26, 46. & Marc. 14. 34. verbū Aramæum à Christo prolatum Scriptores divini exprimant per σαβαχθανὶ, (ita juxta *Drusium* potiùs legendum, quàm σαβαχθανὶ,) suffixo sc. mobili reddito, quod tamen in Syriacâ N. T. versione perpetuò quiescere solet.

POSITIO II.

De Scriptione Syrâ nominis *Babel*.

Dictum etiam Disputationis superioris Pos. I. ex sententiâ

L. de Dieu, litteras quieſcentes antiquitùs Vocales apud Syros indicaſſe abſentes. Addidimus id ipſum videri nobis cauſam, quur illæ ſæpè in uno Codice additæ, omiſſæ in altero. Exemplum rei hujus iterum nobis exhibetur in dictione ܐܬܝ & quæ inde enata ܐܬܝܐ ambæ hæ voces in noſtro conſpiciuntur Codice, ut exhibuimus, at editi *Judh* ſæpè elidunt ante *Lomadh*, ceu otioſum, ac tantùm Vocalem ſub *Beth* indicans. Retinuit interim noſter additâ licet Vocali.

POSITIO III.

Mathan quomodo Syriacè ſcribendum? *Pathach* per quam Vocalem Syri exprimant, per quam item *Kametz*.

Pro ܡܬܢ Codex MS. habet ܡܬܢ, per geminum *Dsekopho*. Quæ lectio jam melior, recepta hactenus in Codd. lucidatis, an verò ea, quam ſiſtit noſter? Nulli nos ambigimus, Vulgatam hoc loco quoad primam Syllabam præferendam eſſe, idq; duabus de cauſis I. quia *pathach*, quod in Scripturâ Ebræa in V. T. nomen hoc poſsidet in ſyllabâ primâ, Syri non per Vocalem quartam, ſed primâ ſive *ptocho* exprimere aliàs conſuevêre, ceu ex collatione nominum propriorum in V. T. Ebr. & N. T. Verſ. Syrâ videre eſt. 2. quoniam in ſimilibus dictionibus, & quæ ab eâd. quâ præſens, deduci videntur radice, *ptocho* in primâ ſyllabâ habetur, noſtro Codice haut reclamante in מַתִּתְיָא מַתַּי &c. Quoad Vocalem v. in ultimâ, nim. *dsekopho*, putamus nos, noſtri Codicis lectionem receptæ hactenus (*Guido* tamen *Fabritius* in Op. Reg. bis מַתָּן exhibet, ut ut in Syr. *ptocho* ſub ultimâ etiam relinquat) meliorem eſſe, cùm apud Ebræos nomen hoc *kametz* ſub ultimâ poſsideat, quod Syri ferè per *Dsekopho* repræſentant communiter. Sed ſi aliquis diceret, etiam in ſyllabâ primâ *dsekopho* memoratâ in voce locum habere, cùm ל, quod apud Ebræos dagheſch forti adfectum, *kuſchoi* in Cod. noſtro (in aliis excuſis talia puncta minùs diligenter exhi-

exhibentur) sit excluſum,& ob id *dsekopho* pro *ptocho* adhibitum: illi reponi poteſt, quòd etiam aliis in dictionibus dagheſch forte Ebræorum apud Syros per *kuſchoi* non exprimatur, & tamen nihilominus antecedens *ptocho* maneat. An tamen Codicis noſtri ſcriptor huc forſan reſpexerit, nos non diſputamus.

POSITIO IV.

An Jehojakim in Genealogiâ Chriſti præteritus à Matthæo? quomodo Teſſera decades complendæ?

Anxiè à Scripturæ S. Interpretibus diſquiritur, nec id immeritò, cur Jechonias à Joſiâ genitus v. 11. dicatur, cùm tamen non à Joſiâ, ſed ab Ejus filio Eljakim, cujus nomen à Necho Ægypti Rege in Jehojakim mutatum fuit 2. Paral. 36, 4. natales ſuos immediatè proximèq; trahat v. 8. ac 1. Par. 3, 16. In proclivi quidem eſſet, dubium hoc ſolvere, ſi dicatur, Evangeliſtam noſtrum non de immediata loqui generatione ac parente proximo, ſed de genitore remoto h. e. avo (quemadmodum & avos *patres* aliquando dici, aliàs in Scriptura ſacra non inſolens, Vide Dn. D. Glaſſ. Rh. S. p. 447. Spanh. Dub. Ev. Part. 1. p. 19. & 20.) ipſi hoc loco ſermonem eſſe: niſi obſtare adhuc videretur, quòd ſic *teſſeradecades* à Matt. v. 17. indicatæ non eſſēt integræ. Has igitur ut compleant quidam, Hieronymum Comm. ad h. l. & Epiphanium lib. I. contr. hær 8. ſequentes, librariorum hîc ſphalma agnoſcunt, dicentes; librarios Ebraicarum litterarum ignaros, Jojakim & Jechoniam ob nominum convenientiam confudiſſe, unumq; è duobus feciſſe, quorum alterum redundare exiſtimarent, uti habet Dn. D. Calixtus. Firmant horum ſententiam vetuſti quidam Codd., quorum fidem faciunt Stapulenſis ac Bucerus, qui ita locum ſuppleverunt: Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ιακὶμ: Ιακεὶμ δὲ ἐγέννησε τὸν ἰεχονίαν. Sed utut non inviti largiamur, Scriptores Græcos non ſemper accuratam habuiſſe ſcriptionis rationem in exprimendis nominibus Ebræis, concedamus etiam, h. l. magnam eſſe in ſcriptione nominum Ἰωακὶμ (ita in LXX. verſ. legitur, vel uti Rob. Stephanus ex Vet. Codd. in N. T. exhibet Ἰακείμ) & Ἰωχὶν (ita nonnulli Ἰεχονίαν Steph. legunt, alii Ἰεχονίαν,, LXXII. Ἰεχωνίαν) vicini-

vicinitatem, inprimis si quis veterem consideret Græcorum scribendi modum, quo in α quoq; ac ν planè convenire videntur, ut saltim per connexionē à latere dextro μ à ν discerni queat. dubitamus tamen, an propterea recepta hactenus, ac tot antiquissimorum Codd. Græcorum lectio corruptionis exinde arguenda sit. Et sanè vetustissimam hanc esse lectionem, quæ nomen Ιαχεια non agnoscit, probamus etiam ex constanti & unanimi Codd. Syriacorum, quibus & noster antiquitate venerandus egregiè adstipulatur, consensu, qui ne γεν quidem de Jojakim admittunt. Syriacam v. N. Fœderis paraphrasin antiquissimam esse, nemo puto negabit, imò ipsorum Apostolorū attingere illam tempora, non parvi nominis Viri statuunt. Taceam Versionem Arabicam, quæ nec suo caret apud æquos rerum judices æstimio. Taceam Versionem Æthiopicam, quæ Romæ 1548. prodiit. Taceam Codd. Latinos, de quorum nullo, quantum nobis quidem constat, quisquam Auctorum memoriæ prodidit, quòd illam Stephani ac Stapulensis lectionem adprobet. Taceam etiam Eclogas illas Græcas, quarum sæpiùs hactenus facta mentio, sive Liturgiam Græcorum (de quâ B. Saubertus, qui ante aliquot annos benivolè istud χειρόγραφον mecum communicabat, in Histor. Bibl. Reip. Norib. p. 89. commemorat, quòd Majorum judicio tempore Apostolorum proximo scripta fuerit. Unde autem jam *Tessarendecades* complendæ? non immeritò aliquis quærat. Jamdudum de hoc cogitarunt BB. Patres, Chrysostomus sive auctor potiùs operis imperf. in Matt. qui Chrysostomo insertus, & Augustinus lib. II. de Cons. Evang c. IV. investigare tamen conciliationem non potuere aliam, quàm ut dicerent, *Jechonian* s. *Jojachin bis esse numerandum, semel ante transmigrationem* Babylonicam, uti Regem; *ac rursum etiam post eandem, ut privatum*. Jojakimum verò Jechoniæ patrem propterea hîc prætermitti censent iidem, *quòd non ordinatione divinâ, sed Regis Ægyptiaci potentiâ Rex fuerit* constitutus. Dici etiam posset, propter abominationes ejus (2. Par. 36, 9.) Matthæum illius præteriisse memoriam, quemadmodum nonnullorum sententiâ Ochoziam etiam, Joam atq; Amaziam ob impietatem illorum non nominasse, Evangelista creditur v. 9., nisi obstaret, quòd Jechonias quoq; malum fecerit in oculis Domi.

Domini 2. Paralip. 36,8. ac tn. ab Evangelista nominetur. *Theophylactus* nonnullorum meminit, qui existimarunt, ipsâ transmigrationem Babylonicam pro generatione s. personâ unâ esse habendam: Φασὶ τινὲς, scribit, ὅτι καὶ Ἰωὰ μετοικεσίαν ὡς τεσσάρων τάξιν ἔχουσαν ἔθηκεν. Alii ut numerum compleant, ipsum Davidem bis numerandum esse arbitrantur, in fine tesseradecadis primæ, tanquam personam privatam, in secundæ autem initio tanquam personam publicam & Regem. alii aliter. Novam nodi solutionem suppeditare conatus est eximius Philologus *Lud. de Dieu* Adpend. ad Cap. I. Matth. eamq; *à Thysio* accepisse se, quæ summa hujus viri fuit modestia, fatetur. Vult autem illa, *Jechonian ad secundam tesseradecadem referendum esse, tertiamq; à Salathiele ordiri. quæ ut compleatur, accensendam s. Virginem, ut peculiarem generationem, eò, quòd Virgo peperit, atq; hanc ob causam subjici* v. 16. ἐξ ἧς ἐγεννήθη ὁ ΙΗΣΟΥΣ, *ut ei hic generationem penultimam, & ex eâ Christo ultimam tribuendam esse sciamus: alibi autem mulieres pro stirpe non censeri, quia viri ex quibus conceperunt, progeniem faciant.* Sed etenim nec hîc *Spanhemio* desunt dubia, quæ contra ingeniosam hanc, ut ipse non immeritò vocat, solutionem moveat. Quæ cùm recensere pagellarum harum angustia prohibeat, remittimus harum rerum cupidum ad *Spanh.* Dub. Evang. Part. I. p 85. Ipse verò tandem *Spanhemius* concludit dicendo, *duos distinctos Jechonias à Matthæo commemorari, unum Filium Josiæ*, (qui aliàs Eljakim 1. Paral. 36,4. & secundùm impositionem Regis Ægypti Jehojakim vocatus fuit ibid.) *alterum Patrem Salathielis prioris Jechoniæ filium: ac reddidisse vel Matthæum duo nomina Ebræa adfinia Jehojachim & Jehojakim euphoniæ causâ per unum idemq; nomen Græcum Jechoniæ.* Ita ut *priori loco sc. v. 11. intelligatur Jehojakim, altero v.* nim. v. 12. *Jehojachin.* vel Jehojachin esse nomen commune Patri & Filio, quod *Ambrosio* visum. Quæ sententia, licet nec ipsa suis careat difficultatibus, quas tamen maximam partem auferre prolixè conatus est laudatus *Spanhem* Dub. Evang. Part. 1. p. 40. & seqq. reliquis tamen quodammodo præferenda videtur. Amplexus est hanc ante *Spanhemium Gomarus, Francisc. Lucas* itemque alii. Id v. inprimis ambiguos nos habet, unde probari possit, nomen hoc Ἰεχονίας competere Patri & Filio, cùm, quod rectè scri-

&tè ſcribit *Fr. Lucas*, Pater ſc. Jehojakim nuſquam in Script. præter hoc Matthæi loco, atq; de hoc jã maximè controvertitur, iſto veniat nomine. licet interim nulli repugnemus, multos in. Sc. S. eſſe binomines. Videtur ſanè nobis, non ſcriptorum vitio & temporum longitudine apud Græcos Latinosq; confuſum eſſe nomen Jechoniæ & Jojakim, quod Hieronymus putavit: ſed ipſum Evangeliſtam diſcrimen non accuratè in ſcriptione nominum propriorum Ebr. obſervare voluiſſe, quod & in aliis fecit, nobis non improbabile eſt: ut hinc non opus ſit, quur *Fr. Lucas* demiretur, *Syriacè* iiſdem utrumq; litteris expreſſum, (ita & noſter Codex exhibet,) perinde ut Græcè Jouchanio. ſequutus eſt enim Syrus, & quidem rectiſsimè, ſicuti quoq; Arabs itemq; Æthiops, authenti cum textum Græcum, quem non ſcriptorum vitio vel temporum injuriâ corruptum, duo iſthæc diverſa nomina haut diſtinguere, ipſa vetuſtiſsima paraphr. Syra innuere nobis videtur quodammodo. Sed de his ſatis.

POSITIO V.

Adami Contzen Jeſuitæ varii errores in Scriptione vocum Syriacarum detecti.

Id nunc agamus, ut quoniam non parùm ſuperbit Jeſuita *Adamus Contzen* in collatione Paraphraſeos Syriacæ, utpote, *quæ ſemper*, ut ei quidem videtur, *lucis aliquid ac roboris ad ſua firmanda, adverſariorum* (per quos ſi Lutheranos quoq; intelligit, merito de adſerto ejus dubitamus, in poſterum ſæpè contrarium probaturi) *debilitanda ſuppeditet*, oſtendamus, quòd in leviculis ac Grammaticalibus thraſo hic turpiter ſeſe interdum proſtituat, graviora ac ad ipſas reales cõtroverſias Theologicas ſpectãtia, à Cathedrâ quippe hâc aliena forſan, Theologis relinquentes. Adnotare jã nolumus errores, quos typothetæ fortaſsis adſcribere quis poteſt, E. G. quòd in nomine דיתיקא p. 1 a. Jodh priori & p. 11. in דינרא itidem litteræ Jodh dagheſch imprimit, forte ſc. quo tamen Syri quoad hanc litteram prorſus carent, item quòd p. 8. a. poſt בר lineola makkaph inſerta, quæ tamen hîc nullum habet locum. Similiter, quòd ibid. רַקָא reddat *Reka*, nec non quôd p. eâd. pro מתתרגם exhibeat מתרגם alia-

que

que penè innumera. Inquirere ſaltim nunc allubeſcit, cur ממונא ib .itēq; עמן in medio gemino *M.* Latinè exprimat, cùm tamen unicum ſaltim Syra vox in medio agnoſcat, quippe quæ Dagheſch forte Ebr. fugit. Cur idem גגולתא (ita enim ſcribendum, non גגילתא, ſicut in *Contzenio* conſpicitur) Latinis litteris reddit; *Gogoletha*? ſecundùm veram enim punctationem ſic legendum *Goghulto*. Miror ſanè, cujus Codicis Syri fidem & punctationem Jeſuita fuerit hîc ſecutus. Idem p. 11. l. 11. à f. nomen דינרא (ita ſcribendum ſine dagheſch in Jodh, uti *Contzenius* malè exhibet) Latinè ſiſtit *Denario* pro *Dinoro*. ibid. קנטרינא *Kenturenó* pro קנטרונא *Kentrúno*, ib. פרטירין *Preturin* pro פרטורין *Pretorin*, ut alii Codd. habent, vel ut noſter פרטוריין p. 12. כאפא *Cepha* pro *Cipho*, contra omnium, quotquot videre, vel ex aliorum Doctiſsimorum Virorum collatione habere potuimus, Codd. Syriacorum, noſtri cumprimis accuratiſsimi, punctationem ſcriptionemq;. Mirè igitur punctatum Codicem Syrum neceſſe eſt Jeſuitam habuiſſe, aut quod malim credere, negligentiùs paullo editos inſpexit, quod tamen facere debuiſſet, *utpote ſemper aliquid roboris* (ita vanè jactat) *ad ſua firmanda ſuppeditantem Paraphraſin*. Sanè niſi firmiora errorum ſuorum ille habeat præſidia vel aptioribus cõtra noſtra dogmata utatur armis, victoriam ab hoc hoſte nemo non Syriacæ Linguæ vel leviter peritus ſpondere ſibi poteſt.

POSITIO V.

Error aliquis in Eclogis MS. Græcis indicatus. Codicis MS. Syri lectio probata. Diſceſſus *à Guidone F.* Suffixum 3. Perſ. F. quomodo apud Syros adhæreſcat?

Dubio longè vitioſa fuit lectio, quando v. 19. pro δίκαιος (quod epitheton de Joſepho γυνὴ deſponſato marito adhibet Scriptor divinus) in MS. Eclogis Græcis aliquoties laudatis, primitùs lectum fuit διὸς: correcta etiam rurſus hinc à ſtudioſo ac perito aliquo lectore, rectèq; in δίκαιος mutata. Sed cur non idem limam quoq; adhibuit verbo ἠβουλήθη, quod eodem verſu corruptè ſcriptum pro ἐβουλήθη, ceu alii quoq; Codd. habent, Grammatica etiam poſtulat. Aſt hoc leve eſt: illud obſervatu

forsan magis dignum, quemadmodum etiam à Cl. *Hackſpanio* notatum, quod eod. verſ. in M.S. noſtro Syro pro ܠܗܘܢ legatur ܠܗܝܢ. Quamvis enim vocalis ſub ܗ quodammodo oblitterata ſit, patet tamen ex eodem MS. noſtro, & quidem ex Matth. 19, 7. ubi ſat clarè & expreſſè vocalis ſecunda ſ. revozo τῷ ſubjecta conſpicitur, vocalem hanc h. l. à Scriptore fuiſſe quoq; adhibitam. Putat etiam laudatus *Dn. Hackſpanius* præf. ad Luc. *Frankt. Bertrami* præcedens verbum ܐܬܝܗܒ non ita legendum ac punctandum eſſe, ſed ܐܬܝܗܒ (ita quoq; rectè legit *Guido Fabr.*, à quo tamen in eo divortium facere cogimur, quando tum hîc, tum Marc. 4, 30. ac Luc. 13, 18 & 20. *Kametz* ſive vocalem Syrorum quartam ſub *Jodh* locat, cùm quieſcens hoc prædictis in locis ſit. Quâ de causâ etiam & noſter Codex, licet aliàs voces integrè & accuratè punctarit, Judh tali in caſu vocali caſum reliquit. Contrà quàm eſt in edit. Troſtii, & quidem conſentiente noſtro Codice. Apud Lucam etiam c. 13, v. 18. & 20. & Marcum c. IV, 30. Codicem noſtrum *CLmi Dieu* conjecturam ac dubitationem confirmare, oſtendit ſimiliter *Hackſp.* l. c. & alibi à nobis diducetur. Meritò igitur ſuſpectam judicat memoratus *Dieu in* Gr. Harm. receptam hactenus adductarum dictionum punctationem, qua ܐ Suffixum 3. perſ. S. F. verbis quieſc. tertiâ rad. in Fut. ἀνωμάλως per chevozo adhæret, cùm tamen analogia revozo requirat. Maneat igitur, jubente analogiâ, adprobanteq; noſtro ut antiquiſſimo, ita & accuratiſſimo Codice, regula Univerſalis, quòd ſuff. 3. perſ. Fœm. adhæreſcat verbis quieſc. ult. rad. in Fut. per revozo. Id quod ad regulam 103. Harm. Schick. notari etiam poteſt.

POSITIO VII.

Codicis Syri diligentia in additione Kuſchoi & Ruchoch qn. & quo in caſu hoc illudve addendum?

Dici

Dici certè de Codicis noſtri Scriptore non immeritò poteſt, quòd ut Ebræorum phraſis habet, רַב עִיוֹת munere ſuo fuerit functus. ita ſanè ſæpè minuta obſervat, ut diligentiam ejus non ſatis mirere. Cùm *Kuſchoi* litteris *Beghadhcephath* poſt quieſcentes imprimi vel imponi nequeat apud Syros, ille adeò ſtudiosè iiſdē in propriis nominibus (cujus rei ex noſtri Evang. c.1. exhibent exemplū אַבְיוּד שֶׁל אֶחְיל עוּבְיוּ לִיהוּדָא &c. in quibus ſemper poſt quieſcentes litteras ſubſequentib9 litteris *Beghadhcephath ruchoch* rubro ſubſcripſit colore) addidit *ruchoch*, ne forſan Lector hæſitandi vel leviſſimam haberet anſam. E contra verò ubi littera mobilis cum ſcheva quieſcente eaſdem antecedit, *Kuſchoi* illas adfecit, ceu ex nomine זוּרבָבִיל v.12. liquet, in quo propter ſcheva quieſcens ſub ר litteræ ב priori *Kuſchoi* minio ſuperſcripſit. Ubi tamen probè notandum, competere quoq; *ruchoch* (quod רפ *Raphe* Ebræorum reſpondere, alibi oſtenſum) litteris *Beghadhcephath* poſt litteram mobilem ſcheva quieſcente adfectam, qn. ſc. vox è Græcà lingua huc tradu&ta, inq; eâdem littera adſpiratam requirit pronunciationem: Sic cap. 2. noſtri Evangeliſtæ comm. 22. in voce אַרכלָאוֹס itemque Luc. 3. v. 19. in טטַרכָא litteræ כ, non obſtante, quòd ſcheva præcedat quieſcens, ruchoch ſubſcripſit, cùm Græcorum χ h. l. mollem poſtulet ſonum, quem כ *Kuſchoi* oneratum non exhibet. Minùs ſive felices ſive curioſi hâc in re Syris Græci, qui differentiam hanc inter כ Ebr. dagheſch leni adfectum vel eodem caſſum, ſicuti etiam in cæteris litteris *Begh.* adeò ἀνεμβάτως obſervare non potuerunt, imò fortaſſe & noluiſſe aliqn. videntur. id quod innumeris oſtendi poſſet exemplis, ſi hoc nunc ageremus. Videri interim poteſt *Druſius* notis ad Alph. Ebr. Vetus, it. in Præter. ac notis ad N. T. paſsim.

POSITIO VIII.

An littera Judh *chevozo* adfecta tm. ad Olaph illud rejiciat, an vero etiam ad illam litteram, quæ *Olaph* antecedit? Syri carent ſcheva compoſito, item ſimplicis figurâ.

Litteræ *Judh chevozo* adfectæ non rarò *Olaph* ſerviliter præ-

mitti, docet *Dieu*, & attigimus nos Pos. IV. Facit hoc ipsum, ut, cùm aliàs *chevozo* sub *Judh* ad litteram aliam schevatam præcedentem rejici soleat, abjecto sub illâ scheva, littera ista tali in casu scheva suum aliquando retineat. Testem hîc laudo nostrum Codicem, qui v. 5. nomen לאישי ita punctat לְאִישׁי, ita ut *chevozo* sit sub *Olaph*, non sub *Judh*, quâ punctationem *Boderianus* etiam in Regiis Bibliis rectè exhibet: licet in eo adsensum illi præbere non possimus, quòd scheva in translatione Ebræâ expresserit. hujus enim simplicis sc. cùm figurâ, sicuti composito prorsus careant Syri, ita nec per Ebræorum schevam, etiam in scripturâ Ebraâ, reddendum esse, statuunt viri Syriacè amussim docti. Diximus suprà, ALIQVANDO schevatam litteram ante Judh, cujus vocalem ֫ servile recipit, retinere suum scheva: non semper enim hoc evenire perspicimus, imprimis in medio dictionis hinc Luc. 3, 27. noster Codex sistit ܫܠܬܝ, quomodo etiam non malè punctat ibid. *Guidò*. Quid verò de *Trostii* & *Crinesii* punctatione, quæ diversa à nostrâ, sentiendum sit, infrà disquiremus.

POSITIO IX.

Codex MS. Syrus correctus. Græci minus curiosi in scriptione nominum Ebræorum. Cur tres Reges in Genealog. Christi omissi?

Miramur corrigendumq; putamus Cod. nostrum, qn. v. 8. pro לעזיא exhibet לוזיא, omissâ litterâ ע. Obstant enim reliqui Codd. Syri, obstat textus Ebræus, obstat quoq; Æthiops, imò ipse noster v. seq in eodem nomine ע agnoscit. Patet verò ex nomine hoc, quàm non fuerint curiosi Græci tum ἐξοδοποιοὶ, tum Novi Fœderis Scriptores in reddendis nominibus propriis Ebræis, dum litteram h. l. vocis Ebrææ essentialem, sc. ע omittunt, quam Syncopē *Syrus* etiam ac *Arabs* itemq; *Æthiops* sunt imitati. Hoc verò majoris videtur hîc momenti res esse, inquirere, cur Evangelista tres h. l. Reges, qui 1. Paralip. 3. v. 11. ac 12. recensentur, & ad genealogiam omninò pertinent, nim.

Ahas.

Achaziam, *Joasum* ac *Amaziam* præterierit. Quidam *librariorum* seu *descriptorum* id factum putant *negligentiâ*, qui à Joram lectione ad Oziam prolapsi, cùm in Græcâ scriptione inter ὀζίαν & ὀχοζίαν similitudo non exigua intercedat, imò si unica saltim ê posteriori nomine sumatur syllaba prorsus conveniant. Sed cùm omnes prope Codd. Græci, quibus Liturgiam illam MS. antiquissimam jure adnumeramus, constanter illos tres Reges omittant, *Syrus* quoq; vetustissimus Interpres, nulla verô quoad hoc in Codd. dissensus, itemq; *Arabs* & *Æthiops* receptam lectionem Græcam sequantur, nec Latini quoq; reclament Codices, *Hieronymi* etiam jam tum tempore tres isti Reges in textu Græco fuerint desiderati, periculosum omninò ducimus, tantam, tam antiquam ac universalem prope Codicum corruptionem statuere. Accedit & hoc, quòd si tres hi inserantur Reges, tesseradecas altera numerum suum excederet, ac Evangelistæ v. 17. scopum everteret, qui fuit, per tres tesseradecades generationem Christi ab Abrahamo usq; deducere. Nonnulli igitur *studiò* (illos enim, qui *ex oblivione ab Evangelista id factum* putant, vel *Evangelistam nominũ similitudine deceptum tale quid perpetrasse*, nullo modo audiendos putamus) ipsum Evangelistam tres illos Reges omisisse censent, tum quia propositum ipsi fuit non excedere tesseradecadem in singulis trium Ordinum, quos constituit, tum quia *Ochozias*, *Joas ac Amasias* proximè geniti fuerant ex semine *Achabi* & *Jezabelis*, quorum posteritatem penitùs delendam minatus erat Jehova 1. Reg. 21, 21. quia igitur *Joramus* ducendo Athaliam, filiam Achabi 2. Reg. 8, 18. 27. unde & filius Achabi dicitur v, 16. & 25. maledictionem familiæ Achabi in se ac posteros in tertiam usq; generationem derivavit, ipse quoq; v. 18. ac filius Ochozias 2 Par. 22, 3. nepos ejus Joas 2. Par. 24, 21. pronepos Amazias 2. Par. 26, 26. non impii solùm fuere, sed & veræ quoq; religionis ac Prophetarum persecutores, sicuti de Joas & Amaziâ satis constat; inde haut mirum nonnulli putant, quòd eos Evangelista in Messiæ Genealogia non posuerit, qui de Messiâ doctrinam omni studio è subditorum animis eripere ac delere fuere conati. *Tantam igitur fuisse domûs Achabi pœnam*, nim. *in tertiam ac quartam generationem*, *quanta fuerit*

benedictio Jehu propter domus Achabi delectionem, quidam indè colligunt. Et *conformiter omninò mandato divino, quo condemnati tanquam qui nunquam aut regnassent, aut vixissent, habendi videbantur, Evangelistam hîc fecisse*, scribit *Fr. Lucas*. Placuit sanè Evangelistæ tres Reges domesticos Regiiq; sanguinis propter eorum impietatem omittere, ac contra tres peccatrices fœminas easq; alienigenas, sed in Messiam credentes, in sanctæ nativitatis ordinem collocare ac evehere. Illorum, qui *Salomonis lineam in Ochoziâ sine liberis moriente defecisse* arbitrantur, sententiam, prolixè refutant Magnus *Chemnitius* Harm. Evang. Part. I. c. 3. p. 103. *Fr. Lucas Brugensis* ad v. 8. c. 1. Matth. *Frid. Spanhem.* Dub. Evangel. Part. 1. p. 97. & seqq., qui etiam satis prolixè de allato dubio disserit, Dubb. E. P. 1. p. 20. & seqq. Sufficiat verò nobis, hæc talia saltim recensuisse, cùm nec ad scopum nostrum colliment, & à Cathedrâ etiam hâc, sicuti & nonnulla, de quibus Pos. IV., sint aliena.

POSITIO X.

De Scriptione Syrâ nominis *Rechabaam*.

Cùm scopus harum Exercitationum ac materia quasi sit, Codd. excusos Syros cum nostro MS. conferre, & sicubi in lectione sese offerat interdum discrepantia, inquirere, quænam alteri præferēda, veniâ speramus impetrabimus, quòd in leviculis etiam officium nostrum haut deseramus, versu 7. Codex noster nomen רחבעם cum præf. ל ita punctatum monstrat: ponendo *ptocho* supra ב, cùm Codd. cæteri *revozo* eidem subscribant. Sanè non mala Codicis nostri punctatio: firmat enim eam scriptio Ebræa V. T., quo in nomen laudatum sic invenimus רְחַבְעָם nec juvat vulgatam punctationem Scriptio Græca, in quâ ῥοβοὰμ est (eximium in hâc voce exemplum perspicimus, Græcos *scheva* Ebræorum per *o* breve expressisse, videātur de hâc re etiam Cl. Philologi *Drusius, Dilherrus, Lud. de Dieu*) omissâ litterâ adspirata *cheth* in medio, quæ cùm in nominibus propriis inseratur, ut apud Syros omninò fieri potest, recipere sanè debet illam vocalem, quam aliàs in scripturâ Ebræâ possidet (nisi *scheva compositum* hîc adsit, tali enim in casu scheva simplex adsumit, vel hujus loco sub *Olaph*,

Revozo

Revozo, ut alibi oſtenditur) & hâc quidem in dictione *a* breve. ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Minimè v. etiam adprobanda vel præferenda *Crineſii* punctatio, quæ in Lexico talis ſiſtitur: רְחֻבַּעַם, ita ut ע quieſcat in ptocho ſub ב, quæ lectio nec Ebrææ accedit, nec ullum ex editis Codicibus, quorum notitiam copiamve impetrare potuimus, habet conſentientem, ut ut non abnuamus, ע aliquãdo apud Syros pro *ptocho ſcheva* ſimplex obtinere, quod in ſcriptione Ebræa omitti ſolet, ceu ex nomine יַעֲקֹב manifeſtum. Verùm id nihil hîc pro *Crineſio*.

SOLI DEO GLORIA!

O*Tia qui quærit, traducens molliter ævum,*
Hic non ingenio doctus & arte valet:
Mente ſed hîc opus eſt, quæ ſcit tolerare laborem,
Qui gerit hunc, forti pectore, doctus erit.
Hoc benè cum noſſes, ſtudio vigiliq; labore,
Prima tibi clavem *quærere, cura fuit,*
Sanctam *dico Patrum* linguam. *Det Rector Olympi*
In ſtudiis vanus ne labor ullus eat.
Præmia ſic capies, tanta pro mole laborum
Atq; viri docti nomine dignus eris.

Commenſali meo plurimùm dilecto honoris & amoris ergò f.

M. Auguſtus Fleiſchhauer/
Eccl. Witteb. Archid.

INdex ſermonis vox eſt, eſt littera ſenſus:
Purior ex ipſis fontibus unda fluit.
Temporis hinc partem linguis impendere ſacris,
Certè hîc ferre ſolet commoda pulchra labor.
Temporis hinc partem, Claro præeunte GERHARDO,
Linguis te ſacris dum tribuiſſe juvat,
Hoc LYSMANNE ſapis: ſic quando Sophiſta ſophizat,
His poteris multas *ſolvere* ritè ſtrophas.

Grator!

Grator! Et ad ſolidæ doctrinæ, & culmen honoris
Te labor hic ducat, faxit Jôva, precor!

Hæc Præſtantiſſimo Dn. Reſp. Commenſali & amico ſuo certiſſimo gratulanti animo deprop.

Ægidius Trapp. Bergd.

Ad Eximium & Præſtantiſſimum

DN. RESPONDENTEM

Contubernalem, Sympatriotam & Commenſalem ſuum perdilectum.

MEns hominum varia eſt, ſtudiis non gaudet iisdem,
Sunt qveis divini pervolvere dogmata verbi
Cura eſt. atq; viam populo monſtrare ſalutis.
Multos delectant leges divinaq; jura
Morborum varias avet hic cognoſcere cauſas,
Sunt quos caſtra juvant, alio ſub ſole calentes
Hic luſtrat terras, trahit & ſua quemq; voluptas.
Te LYSMANNE juvat cum codice jungere ſacro
Linguarum ſtudium, quo fretus Præſide Claro
Audes Leucoreæ conſcendere pulpita docta.
Gratulor his cœptis, progreſſibus utere fauſtis,
Sic tandem explebis dulciſſima vota parentum.

Henricus Balthaſar Wilhelmi Ultzenſis.

Πῶς ΛΥΣΜΑΝΕ Φωνήεντα Σύρων μ᾽ βάλλωνται
Διδάσκεις ἐν καθέδρᾳ Φιλοσόφων ἀκριβέως.
Οἶδα νημερτῶς Σέγε μέγιστον ὡς μένει κῦδος.
Εἰς χιλιοστὸν μεταβαλλήσεται Σέο.
Φήμης λαμπηδὼν, θεσπεσίοιο καὶ ἐς πύλας ἥξει.
Μεταβαλλήσεις λύκος εἰς ἄρνας, μ᾽ βαλλήσῃ.
Διδάκτορος ἐξ εἰς ἀειθαλὲς ἄνθος Ὀλύμπου.

Sic Amicitiæ & congratulationis ergo acclamat animitus

Johannes-Chriſtianus Triblerus,
Dreſdâ-Miſnicus.

FINIS.

01 A 6640

ULB Halle
003 108 309

Sb.

VD17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-571837-p0020-8

36

B.

num

TESTA-

RIACUM,

inta,

OREA

διαλέξει *submittunt*

ERNESTUS

S Jenenſis,

IEL Lyßman/

IS.

ulij

ſophorum

id.

G Æ,

RUS, Acad. Typogr.

II.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-571837-p0021-4